

24.

Notariatsinstrument enthaltend eine Erklärung des Rektors der Universität Magister Johannes Wünschelburg, in welcher der von Einigen verläumdete Lizentiat Heinrich Kolur von Nürnberg in Schutz genommen und als ein würdiges und verdientes Mitglied der Universität bezeichnet wird.

Leipzig, 1438 März 1. 5

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscrpt. No. 176 fol. 310.

In nomine domini. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo trecesimo octavo, indictione prima pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Eugenii divina providencia pape quarti, anno eius septimo, die tercia mensis marcii, hora vesperarum vel quasi, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum 10 ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia, personaliter constitutus honorabilis vir Hinricus Czolur de Norimberga in artibus licentiatus, habens et tenens in suis manibus quandam patentem litteram papiream, a venerabili ac egregio viro domino Iohanne Wunselburg, sacre theologie professoris iuris canonicique licentiatu, alme universitatis studii Lipczensis rectore, emanatam, vero ipsius officii dicti rectoratus solito sigillo sub- 15 impresso sigillatam et munitam, salvam, sanam et integram omni prorsus vicio et suspicione carentem, prout prima facie apparebat, exhibuit et in medium produxit. Qua visa ut eandem transsumerem, transscriberem et exemplificarem ita, quod ipso transsumpto possit et debeat tam in iudicio quam extra ubicunque locorum tamquam originali stari firmiter, credi et plenaria fides adhiberi, dictus Hinricus me notarium subscriptum instanter 20 requisivit, cuius quidem littere tenor de verbo ad verbum cum originali diligenter auscultatus, prout sequitur, fuit et est talis: Nos Iohannes Wunselburg, arcium liberalium magister et sacre theologie professor iuris canonicique licentiatu, rector alme universitatis studii Lipczensis, tenore presencium recognoscimus publice profitentes, honorabilem virum Hinricum Czolur de Norimberga in artibus licenciatum nostre universitatis esse 25 membrum bene meritum atque dignum, contra quem licet quedam infamie nota propter certa ab eo perpetrata, nullius tamen malicie seu supersticionis sed potius cuiusdam experimenti examinandi gracia, super quo tamen diligenti et discreto per nos nostreque universitatis assessores habito, quo ad eundem examine de singulis sic ut premittitur contra eum obiectis se sufficienter expurgavit, cuius occasione ipsum in tali munimine 30 tamquam hunc qui in talem infamie notam sine culpa est dimersus reputamus, talemque de nostrorum assessorum concilio pronunciamus, supplicantes omnibus et singulis secularibus et spiritualibus, in quorum animo defamatus fuit usque modo, ut talem infamie stimulum ab eis evellere velint et exstirpare, ipsumque ut nostre universitatis membrum meritum reputare velint et existimare, in eo facientes nobis complacenciam singularem 35 et possetenus promerendam. In cuius rei testimonium presentes recognicionum litteras duximus nostri rectoratus sigilli subimpressione roborandas. Datum Lipczk anno domini millesimo quadringentesimo trecesimo octavo, sabbato die prima mensis marcii. Post